



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Honorati Fabri, Societatis Jesu Theologi,
Apologeticus Doctrinæ Moralis Eiusdem Societatis**

Fabri, Honoré

Coloniæ Agrippinæ, MDCLXXII

Quæstio 2. Vtrùm ad prædictum effectum sufficiat bona fide confiteri
læthalia cum desiderio veniæ, aut cum eorum displicentia?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94565)

aliter ac extrinsecus, ac proinde proximè; & est bonus ille motus suscipiens, quo Sacramentum Pœnitentiæ gratiam confert; apertè sibi declarat Concilium, attritionem esse dolorem illum, qui est pars hujus Sacramenti, & proxima dispositio ad gratiam, & remissionem peccatorum illius virtute obtinendam. Quam Sacramentum non causeret, si contritio perfecta præcessisset, cum hæc priusquam actu susciperetur, hominem cum Deo reconciliasset. Est ergo certè fide tenendum, contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, sufficientem esse ad valorem, & effectum hujus Sacramenti. An verò dolor, qui gradum attritionis nuper à Concilio exposuit, non attingat, sit sufficiens; constabit ex dicendis questionibus sequenti.

QVÆSTIO II.

Utrum ad effectum huius Sacramenti sufficiat, bona fide, confiteri verba, cum desiderio veniæ, aut cum eorum displicentia?

1. Quod ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ sufficiat confiteri cum desiderio recipiendi Sacramentum & ejus effectum, sentiunt non pauci, qui asserunt formalem dolorem, non esse partem essentiali hujus Sacramenti. Major, Gabriel, & Durandus, apud Suarez disp. 20 de Pœnitent. s. 7. Quibus addit Sylvestrum, verb. Confess. 1. s. 21. ubi sic. * Aliquis videtur, quod cum actus interior sit pars essentialis hujus Sacramenti, sine pœnitentia non valet; sicut nec matrimonium tenet ejus, qui vult contrahere matrimonium, sed non vult contrite. Sed ista non itane cum dictis Sancti Thomæ: nec eorum ratio concludit, quia pars est contritio aliquando futura; sicut aliquando satisfactio præcedit, sic ibi, & iterum Quæstio 22. in fine. * Si non dolet de præteritis, & de futuro cavere non vult, & tamen ista fictio non occurrat sibi ut confitenda, consequenter perinde est, ac si peccatum fuisset per negligentiam oblitum; & est verum Sacramentum. Hactenus Sylvesterus. Qui hanc sententiam non solum defendit (ut bene adnotat Suarez disp. 20. sect. 1. n. 2. & Granado cont. 7. tract. 3. disp. 3. sect. 1. n. 3.) sed juxta mentem D. Thomæ esse testatur. Cujus forsitan auctoritati innixi Recentiores aliqui infra citandi non dubitant dicere esse indubitatam sententiam D. Thomæ in 4. dist. 17. q. 3. art. 4. q. 1. ubi ait. * Potest quis non contritus peccata sua Sacerdoti innotescere, & clavibus subicere; qui quamvis tunc non percipiat absolutionis fructum, tamen recedente fictione percipere incipiet, sicut est in aliis Sacramentis, unde non tenetur iterare confessionem, qui fictus accedit. * Sic D. Thomas.

2. Ideò hanc sententiam tenuit Bernardus de Gannaco in impugnationibus Godofredi, quod lib. 5. q. 14. & cum Capreolo probabilem esse dicit M. Martinus de Ledelma 2. p. 4. quæst. 8. art. 1. dub. 3. fol. mibi 54. ubi sic scribit. * Qui sine dolore confitetur, & sine proposito cavendi in futurum, & est adeò ignarus, ut non advertat ad dolorem, vel si advertat, non advertit, quod est peccatum: sed putat, quod ad hoc, quod sufficienter confiteatur, non debet aliud facere nisi confiteri peccata, & quod absolvetur à Sacerdote etiam

Part 11.

ignaro. Tunc Bernardus de Gannaco dicit, quod est vera confessio. Et Capreolus licet non recipiat eam opinionem, dicit tamen quod est probabilis. Major in 4. dist. 17. q. 9. dicit, quod talis confessio est nulla, & dicit hanc esse opinionem D. Thomæ. Sed ego nescio ubi ipse invenit hoc in Sancto Thoma. Opinio Bernardi de Gannaco habet hanc probabilitatem: quia aliqui dicunt, quod de essentia Sacramenti Pœnitentiæ, solum est confessio, & absolutio. Ergo probabile est, quod dicit Gannacus. * Hæc Mag. Ledelma. Huic sententiæ subscripsisse Scotum refert Cajetanus 3. p. q. 90. artic. 1. & Sylvesterus ubi supra quæstio 21. nu. 24. Et ex Recentioribus eam defendunt F. Christophorus à S. Josepho tom. 1. Recept. opin. 2. p. de sacr. Pœnit. dub. 1. n. 8. fol. 350. F. Ludov. à Concept. in Exam. verit. tom. 1. tract. 5. de pœnit. q. 2. nu. 25. & R. P. Delgadillo tom. de pœnit. cap. 10. n. 5. & dub. 8. n. 44. & cap. 16. n. 31. & in Quæst. moral. de frequentia confess. n. 37. Quibus hanc sententiam magis explicans accessit Thomas Hurtado tom. 2. resol. moral. tract. ult. resol. 10. s. 2. nu. 499. dicens. * Quam rationem manifestè esse judico: quia hæc clavium subjectio non fit sine aliquo dolore peccatorum imperfecto, & virtuali. Nec enim quis se subicit alteri emendandus, & judicandus, nisi aliquem dolorem habeat, & pœnitentiam eorum à quibus absolvi desiderat. * Sic Hurtado supra: qui num. 501. addit hæc ratione posse probabiliter defendi opinionem Bernardi de Gannaco, & aliorum quos supra dedi. * Cujus, inquit, sententiæ probabilitas, quæ multum potest ad praxim pertinere, potest deprehendi, si dicamus, quod in confessione vera, facta à peccatore de peccatis commissis, imbibitur dolor de peccatis sufficiens, ut sit materia proxima pœnitentiæ, ad hoc, quod Sacramentum sit validum, sed informe. Nec alius expressus dolor videtur requiri à Tridentino ad validitatem Sacramenti, bene tamen ad ejus effectum consequendum. * Et est juxta mentem Sylvestri ubi supra quæst. 21. nu. 25. qui sine displicentia virtuali, nequit Sacramentum validum coalescere, expressè ibi docet.

3. Addunt alii confessionem scienter absque ullo expresse, vel formali dolore factam, validam esse, licet pœnitens bene noleat esse peccatum mortale sic accedere, dum tamen de ejusmodi peccato se accuset, & absolvetur. Ita Fr. Christophorus à S. Joseph ubi supra, & probabile putat Durandus in 4. dist. 17. quæst. 13. nu. 7. & non esse improbabile, ait Delgadillo tom. de Pœnit. cap. 10. nu. 44. Et cap. 16. in fine, concludit cum præcitato Fr. Christophoro, esse indubitatam sententiam D. Thomæ, ubi supra. Quod censuit etiam Arriaga tom. 7. tr. de Sacram. in genere, disp. 13. nu. 2. Et quidem semel concessio doloris actum formalem, & expressum, præcedentem sacramentalem absolutionem non esse partem essentiali Sacramenti, sed absque illo validum, licet informe subsistere, solà confessione, & absolutione, hæc sententia necessaria consecutione deducitur. His positis, de quibus quæstione sequente judicium ferendum.

4. Quod in hac quæstione inquirimus est, an qui bona fide accedit absque ullo actu expresse doloris, solà voluntate suscipiendi Sacramentum, & ejus effectum, mortalium remissionem, collatâ absolutione obtineat? Affirmant Angelus, & Rosella apud Vazq. de Pœnit. quæst. 92. art. 1. dub. 1. & Almarinus in 4. dist. 14. quæst. 4. Et quod caput, ita tenuisse Scotum asserit Mag. Sylvesterus, verb. Confess. s. 21. ibi. * Scotus tenet in 4. quod ad consequendam gratiam per hoc Sacramentum non requiritur attritio; sed sufficit voluntas suscipiendi hoc Sacramentum,

E e

hæc

sine obice peccati mortalis actualiter sibi facti in ultimo instanti absolutionis, in quo est vis huius sacramenti. * Si refert non refellens Sylvester. Cui expressius consentit Mag. Dominicus Baltanas in Margar. Confess. fol. 45. dicens: * Secundum Scotum ad consequendam gratiam, per hoc Sacramentum, sufficit non ponere obicem, quod est minus quam attritio; quia secundum ipsum sufficit voluntas suscipiendi hoc Sacramentum sine obice peccati mortalis actualiter sibi facti in ultimo instanti absolutionis. Obex actualis dicitur, si quis actu tunc cogitaret aliquid mortale non relinquere. Et ferè hæc est mens D. Thomæ, cum dicit, quod confessio potest esse informis. * Quibus in attribuenda Scoto præfata sententia, convenit M. Petrus de Soto lect. 7. de confess. informis, ubi in Scotum & Gabrielem invehitur, inquit. * Non veretur dicere, quod sine omni bono motu animi, sola susceptione voluntaria Sacramenti, remittatur peccatum. *

5. Verum ab hac calumnia Scotum vindicat P. Vazq. ubi supra, efficaciter probans nullibi id docuisse. Et ut bene ait P. Suarez disp. 20. sect. 1. n. 1. Scotus solum ait: Quod licet homo accedat parum attritus, iustificabitur. Scoti verba sunt. * Parva attritus, etiam attritione, quæ non habet rationem meriti ad remissionem peccati, volens tamen recipere Sacramentum Pœnitentiæ, recipit effectum istius Sacramenti ex pacto Dei assistentis. Sic in 4. disp. 14. q. 4. litt. E. & disp. 16. q. 2. litt. F. Et quod magis ab impostura Petri de Soto Scotum vindicavit, Tridentinum sess. 14. ubi postquam statuit cap. 4. attritionem, quæ voluntatem peccandi excludat, disponere ad gratiam in Sacramento impetrandam, subnequit. * Quamobrem falsò quidam calumniantur Catholicos Scriptores, quasi tradiderint, Sacramentum Pœnitentiæ absque bono motu suscipiendum, gratiam conferre: quod nunquam Ecclesia Dei docuit, nec sensit. * Longè ergò fuit Scotus Catholicorum scriptorum faciliè Princeps à sententia, quæ ipsi assignitur. Et sanè cuiuscumque sit, rejicienda prorsus est, & gravi censurâ digna. P. Vazquez ubi supra dicit esse erroneam; & P. Suarez esse temerariam, & videri apertè damnatam in Tridentino. Quod & ego censéo: quia contritionem imperfectam, seu attritionem illam, quam inter actus pœnitentis definit esse quasi materiam, sess. 14. cap. 3. declarat postea, Canone 4. Ad integram, & perfectam peccatorum remissionem requiri. Quapropter nequit absque errore in fide asseri, formalem & expressum dolorem de lethali, aut alium bonum motum necessarium non esse ad justificationem virtute absolutionis obtinendam.

6. Restat verò difficultas, an sola displicentia ad hunc effectum sufficiat, absque efficaci dolore, & proposito? M. Canus in Relect. de Pœnit. part. 5. ad 2. principale folio mihi 41. in edit. Complut. anno 1563. existimat esse ex se insufficientem dispositionem, tamen accedentem ignorantiam à invincibili insufficientiæ, verè iustificari. Ideòque postquam statuit displicentiam aliqualem de peccatis, vocari etiam attritionem, sic quæstionem proponit. * Si quæras, quando ex attrito fiat contritus virtute Sacramenti? Respondet id primum evenire quocumque attritionis genere homo sit attritus, si existimat sese præstitisse, quod necessarium erat; ignoratque invincibiliter se non habere sufficientem dispositionem. Quia is non ponit obicem, sed bonâ fide accedit ad Sacramentum. Quo fit, ut omnia Sacramenta ex ejusmodi at-

trito contritum faciant. Quod D. Thomas dicitur tradit 3. p. q. 79. art. 3. & in comment. super Iohann. cap. 11. in illud. solve eum. * Hæc M. Canus. Quem sequuntur Vega in Triad. lib. 13. cap. 25. & 36. & Marcus Vidal in Arca vitali, tract. de Pœnit. mihi 420. & videtur aperta sententia Scoti a nobis supra datis.

7. Laxiorem sententiam tenent alii, existimantes ejusmodi displicentiam ex se esse sufficientem dispositionem (ac proinde dicere debent etiam contritionem sufficere ad effectum Sacramenti, ita Sylvester, verb. Confess. 1. §. 21. ubi ait. * Sufficit vel habere displicentiam, & à Deo gratiam cavendo imperfecitatem, quia talis est attritus virtualiter, id est, displicentiam habet, cum nulli placeat displicentiam placitæ, & habeat etiam voluntatem cavendo, licet imperfectam. Unde in absolutione virtute contritionis iustificatur, nisi obicem ponat: quia de attrito contritum secundum doctrinam Sanctorum maxime D. Thomæ. * Hæc Sylvester. Quem etiam eisdem verbis sequitur M. Baltanas in Margar. Confess. fol. mihi 45. Quibus consentiunt M. Albertus de Ledesma. M. Victoria. Cajetanus. M. Dominicus de Soto. Paludanus, & Navarrus, qui refert P. Henriquez de Pœnit. lib. 1. cap. 23. in prima Glossa, litt. Q. subnectens. * Propter quæ rationes, & congruas rationes est sententia probabilior praxi. *

8. Contrariam verò utrique è regione oppositam veram omnino existimo, nec in terminis mentis à communi Doctorum sententia, adque gentissimo fundamento recedere licet. Quod in præfata non est, cum huius rationem ex præfatis haurire debeamus: & præcipue ex his, quæ Tridentino continentur. Ex illo autem sess. 14. cap. 4. nobis constat attritionem, quæ in Sacramento Pœnitentiæ ad peccatorum remissionem, & gratiam impetrandam disponit, includere dispositionem peccati cum proposito non peccandi de casu, & talem esse debere, quæ voluntatem peccandi excludat. Atqui displicentia de peccato commisso non est, ergò ex se non est sufficiens dispositio ad effectum huius Sacramenti. hic defectus displicentiam invincibilem insufficientiæ, hic defectus displicentiam potest, quia ignorantia solum potest vitare peccatum, non verò efficere sufficientem dispositionem, quæ ex se talis non est. Quapropter licet dicatur Sacramentum esse validum (de quo postea) etiam informe, quia non solum peccatum actuale est obex gratiæ, sed etiam habituale non sufficienter retractatum, ut bene ait Suarez disp. 7. litt. 4. §. Tertiò dicendum in fine. Unde fallum proinde dicere, Sacramentum Pœnitentiæ cavere gratiam in non ponente obicem peccati: est enim peccatum actuale, obex alter ad infusionem gratiæ, nempe defectus dispositionis, quem contritione sufficiens ad valorem Sacramenti compensare lem esse, docent communiter Thomistæ, & quotquot Sacramentum validum, & informis ex defectu doloris admittunt.

(††)

QUESTIO